



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Pancratius M. 12. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

statuit. GANGVLPHVS aquam, quanti indicata erat, emit, & se dat in viam; fons, inaudito miraculo, eum sequitur, & Varennis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, seridè jam damnante mercimonium suum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare GANGVLPHVS uxorem iussit, absoluturus eam, si id impunè fecisset. Accipit conditionem cum risu adultera; sed brachium velut ex Vulcani ollâ fœdè ustulatum retulit; nullo tamen, præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium rediit, & denique adulterio paricidium conjunxit. Id ubi amator illius (prò pudor! Clericus erat) perpetratum ad prostibulum retulit, infelicem animam cum alvo dejecit. GANGVLPHVM miracula Divis exæquarunt; quæ cum adultera traduceret, infami per omnem vitam supplicio est exercita, quod prodere verecundiores, quàm illa fuit, literæ erubescunt. *Ex Surio.*

*Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, ut quidquid dixeris, juratum putes. De quo Salvator ad discipulos ait, Non jurate omnino: Sit autem sermo vester Est Est, Non Non; quod autè his abundantius est, à malo est. S. Hieron. ep. 14.*

S. PANCRA TIUS M. 12. Maii.

**N**ON omnes seridè sapere Phryges, PANCRA TIUS ipse quoque Phryx ostendet. Quatuordecim non amplius natus annos vitã quàm Christum maluit perdere, quæ quidem summa est sapientia. Principe familiâ, Cledonio patre ortus, eoque mortuo, Dionysio patruo in tutelam commendatus Romam cum eo commigravit, quo tempore Diocletianus, Christiani sanguinis gurges,

ges, totius Imperii viribus ad excindendam innocentiam abutebatur, commodum accidit, ut in eadem regione urbis Romanus Pontifex latiret, in qua PANCRATIVS domicilium collocarat, nimirum ut dignissimâ manu hoc lilium Numini consecraretur; cujus impulsu PANCRATIVS ultro cum patruo illis ab eo tingi aquis petiit, quibus omnes cæli flores rigantur. Voto potitus tam suavem pietatis halare odorem cœpit, ut venaticos Diocletiani canes, omnia Sanctorum vestigia odorantes, non potuerit latere. Raptus ad tribunal quantumvis sanguinarios Cæsaris oculos rapuit, qui tamen præter oris formam nihil intuebatur. Ergo blanditias primum admovit, infantulum appellitans, & filii nomen offerens, si se patrem, & Jovem habere Deum voluisset. Utrumque contempsit, & Jovem quidem generosissimè, negans tam puerum esse se, ut adulterum, & sororis suæ maritum sibi putet adorandum. Diocletianus ne plura audiret æquè erubescenda, jussit hunc omnis elegantiaæ florem demeti, cujus sanguine utinam Mariani rigentur horti; ô quales nascentur Narcissi! Ex Surio & Brev. Rom.

*Qui differt in futuram & forsitan non futuram ætatem suam vitam corrigere, certum bonum dimittit procul dubio; & contemnendo, quod perdit, probat non amare, quod expectat, & meretur non accipere.*  
S. Anselm. ep. 1.

S. EPIPHANIUS EP. 12. Maii.

**I**uvar suavitatem divinæ circa teneram ætatem providentiæ in EPIPHANIO agnoscere. Is Phœnix gente, sectâ Judæus, patrem decennis amisit. Accedente ad orbitatem egestate, equum indo-

mitum